

strari non possit. Maiori autem cum commodo iugularibus affigetur venis, eò quòd maioribus viribus auertant ibi hæretes quã aliis locis dictis, si apponatur. Sanguisugæ dictis quoque locis, necnon hæmorrhoidibus apponentur etiam cum scarificatione.

Errhina, gargarismata,

Sternutamentum scientia ex castoreo, pipere, elleboro, euphorbio, quod potentissimè sternutamentum mouet, perque nares cerebrum purgat: non admittendum tamen antequam bene purgatum erit corpus.

Apophlegmatismus ex pipere, pyrethro, castoreo per palatum materiam obstruentem viscosam educit. Palatum autem, reliquasque oris partes internas digitis fricabimus pul. prædicto.

Sinapismus ex sinapio, ficibus decoctis in aqua ad formam emplastri.

EXCITANTIBVS *cerebri vim sopitam,*

Odoramentum ex galbano, castoreo, opopanace.

Vnguentum ex dictorum materia.

Sartago candens capiti à longè applicetur, prius autem capilli abradantur. calor enim sic capiti conciliatur, humores crassi imminuuntur, & in vapores vertuntur,

Sinapi comminutum salique permixtum & in aqua vitæ maceratum, ori iniiciatur, naribusque illinatur.

CORROBORANTIBVS, *intemperiemque cerebri emendantibus.*

Aurea Alexandrina, ana cardina confectio, theriaca, mithridatum, diamuscum dulce.

Diacorum, diambra, acorus conditus.

Conserua betonicæ, maioranæ, acori, saluiæ.

Aqua vitæ, in qua prædictorum nonnulla macerari poterunt, aut nux muscata, castoreum, radix acori, saluia, mastix aut propinentur cum aqua vitæ.

Castoreum magnarum est virium in hoc malo.

Irrigatio lotioque fiat capitis rasi ex oleo aut aqua, in qua decocta sint flores stœchados, folia origani, lauri, rorismarini, saluiæ, camomillæ, meliloti, pulegij, saturagiæ, nux muscata, ruta

Empla